

an 3

IACOBI A MELLE  
LVBECENSIS  
*EPISTOLA*  
De  
ANTIQVIS QVIBVS DAM  
NUMMIS  
GERMANICIS  
HISTORIAM THVRINGICAM  
præcipue illustrantibus  
ad  
*VIRVM CL.*  
DN.  
CASPAREM SAGITTARIVM  
SS. THEOL. D. HIST. P. P. O. FACVL-  
TATIS PHILOSOPHICÆ  
H.T. DECANVM.

---

I E N A E  
TYPIS NISIANIS.

3



JACOBI A. MELLER  
LUBECENSIS  
EPISTOLA  
ANTIOVIS QUIBUSDAM  
N. V. M. M. S.  
GERMANICIS  
HISTORIAM THYRINGIAM  
principibus illustribus  
A. D.  
M. D. C. C. L. X. V.  
D. N.  
CASPAREM SAGITTARIUM  
SS. THEOL. D. HIST. P. P. O. FACULT.  
TATIS PHILOSOPHICAE  
H. T. DECANUM  
L. E. M. S.  
L. P. I. S. N. S. T. A. N. I. A. M.





*Vir Maxime Reverende, Am-  
plissime, atque Excellentissime,  
Præceptor, Hospes & Patrone ob-  
servanter colende.*



Vanta cum propensione  
animi ad Historica studia  
me applicaverim, ac in  
Germanicis, præcipue au-  
tem LYBECÆ patriæ gestis  
a capite repetendis elabo-  
raverim, ipse nosti optime.

DE NUMMIS

Vires meas & ingenium non semper quidem assequi reconditas abyssus, neque mirum, nec forsan a me erit expectandum; primis scilicet labris tangente, cui exhauriendo Magni Viri multis desudarunt ævis. Loquor nunc tantum de incredibili cupiditate, quam mirifica dulcedo hujus studii mihi peperit, & præsuave gaudium, si quæ fortean rimari licuit non modo, sed & aliquando hariolari. Sane tam felici mihi esse raro obtigit, qui exsculperem gravis momenti aliquid, exesis & contractis sæpe cimeliis antiquis, præfractæ quasi intellectum meum fugientibus. Interim tamen nihil intermisi, (quantum equidem tyroni fuit integrum) quod ad legendas explicandasque difficiliore notas pertinuisse visum. Ceterum nummos antiquitate celebres curam mereri singularem, ac in iis excutiendis & interpretandis occupari, inter decora politioris literaturæ poni, in propatulo est. Quam ob rem & in illis tam colligendis, quam depingendis (quod absque jactantia dixerim) non parum posui operæ. Tibi debeo, Vir Excellentissime, quod ad hoc quoque studiorum genus mihi datus sit aditus, & commen-

datio.

datione tua sita admotus pretioso illi Pluri-  
 mum Reverendi Clarissimique Viri M. Jo-  
 hannis Gottfridi Olearii, Saxo-Hallensis  
 Theologi, Patroni mei singulariter colendi  
 Cimeliarchio, non antiquitatis tantum specio-  
 sissimis reliquiis, sed & egregiis naturæ artisque  
 miraculis plenissimo. Maximam hic numi-  
 smatum copiam & delectum videre mihi, sed  
 & tractare & delineare fuit concessum. Porro  
 liberalitatis Tuæ, Clarissime SAGITTARI,  
 luculenta signa sancte mihi servo, nummos  
 scilicet Germanicos, quos tum in hac Acade-  
 mia, tum Gothæ ac alibi conquisitos in me  
 conferre voluisti. Gratias pro hoc insigni be-  
 neficio maximas Tibi ago habeoque, ac dum  
 vixero, habebo semper, nec ulla oblivio ejus  
 memoriam mihi eripiet. Huc accedit, quod E-  
 brææ, Græcæ, & Romanæ monimenta rei nu-  
 mmaria pretiosissima, in magnifico illo Tuo  
 apparatu, quem BOSIANAE debes felicitati,  
 dum in celeberrimi hujus Viri splendidum  
 æque munus ac lectissimum succesisti matri-  
monium, mirer quotidie, ac maxime benevo-  
 lo indultu tuo scruter. Sed bona pars hujus  
 thesauri, Germanicæ videlicet gentis pecunia

vetusta, flores illi, Francorum Thuringorum-  
 que Principum nomina inscripti & imagines,  
 me rapiunt, imo occupant totum. Objurga-  
 tione propemodum dignos reputo, qui exte-  
 rorum poliendis rebus intenti, aliarum genti-  
 um Monetis interpretandis unice insudant, pa-  
 ternas situ & squalore consumi patiuntur. De-  
 ploro infelix hoc Germaniæ fatum, quod  
 æque ac antiquioribus gestis nostræ gentis  
 consignandis; ita & numismatum mysteriis  
 detegendis hætenus defuerint Viri eruditi. Pa-  
 rum abest quin invidiam Palæstinæ, Græciæ,  
 Romæque suos Africanos, Allatios, Angelo-  
 nos, Aquilas, Augustinos, Bertios, Biæos, Bo-  
 nitios, Budæos, Budelios, Byelos, Camerarios,  
 Carreras, Castaliones, Chifletios, Chokierios,  
 Choulios, Conringios, Corradinos, Crojos,  
 Duvallios, Erizzos, Fabros, Freheros, Fresne-  
 os, Georgios, Gevartios, Goldastos, Goltzios,  
 Gorlæos, Gronovios, Gviranos, Hemelarios,  
 Henischios, Heuteros, Hostios, Hotoman-  
 nos, Hulsios, Juvegesios, Landos, Lazios, Lu-  
 ckios, Mætianos, Menestrerios, Muretos,  
 Nonnios, Occones, Oresmios, Ortelios, Pan-  
 cirollos, Patinos, Petavios, Pisones, Puteanos,  
 Qvi.

## GERMANICIS

Quinonios, Rubenios, Savotos, Scaligeros,  
Schellios, Schottos, Schraderos, Sequinos, Si-  
meones, Smetios, Spanhemios, Stradas, Sweer-  
tios, Thesauros, Tristanos, Vicos, Vrsinos, Wa-  
feros, Zantanos: pluresque alios, qui ad illu-  
strandam Veterum rem nummariam omne  
suum studium contulere. At enim quis quæ-  
sio ad Germanicorum nummorum cognitio-  
nem sese vertit? Quis ex eo, quo desiere majo-  
res nostri simplicius & antiquius permutatio-  
ne mercium uti, monetam eorum consigna-  
vit? Vnicum excipio Marquardum Frehe-  
rum, Virum de Germanica antiquitate infini-  
tis modis meritum, qui libro II. *de Re monetaria*  
*cap. II. & III.* de Germanorum nummis pauca  
quædam inseruit. Reliquere igitur Viri ma-  
ximi hæc ænygmata aliis solvenda Oedipis:  
cumque nemo tentandæ admoverit manum  
rei, omnis hæctenus jacuit immotus lapis.

Cum tamen summo flagrem desiderio  
nonnullos, qui in manus pervenere meas, an-  
tiquos nummos, non nosse & legere tantum,  
sed etiam, si fieri possit, inscriptiones illorum  
intelligere, Te, Amplissime SAGITTARI,  
præsentem compellare volui Epistola, ne dedi-  
gne-



gneris gravioribus tuis occupationibus tan-  
 tum suffurari temporis, quod cognoscendis  
 dijudicandisve conjecturis meis impendas, &  
 sive recta sentientem confirmare in propo-  
 sito, sive aberrantem comiter in viam reducere.  
 Erit autem sermo meus de quibusdam num-  
 mis Germanicis, partim ex Tuo promptuario,  
 partim de paupere censu meo sumtis, omni-  
 bus, nisi totus fallor, ad *Thuringicas* Antiquita-  
 tes spectantibus. Hanc in materiam maxi-  
 me incidi, quando cum summa nuper volu-  
 ptate eruditissimam Tuam de *Antiquo* hujus  
 Regionis *Statu Epistolam* ad Magnificum Vi-  
 rum, Dominum Johannem Schilterum, Pa-  
 tronum meum singulari observantia colen-  
 dum per scriptam perlegerem.

Revocabam scilicet in memoriam, asser-  
 vare me per liberalitatem Tuam nummum,  
 Gothæ Tibi oblatum a Consultissimo ac Pa-  
 triæ Historiæ intelligentissimo viro, Friderico  
 Rudolphi, Serenissimo Saxoniae Duci FRI-  
 DERICO, ab Archivo, quem una cum alio  
 (postea recensendo) in ruderibus Grimmen-  
 steinianæ arcis, anno clō 10 LXVII. demolitæ,  
 quando Serenissimus Gloriosæ memoriæ  
 ERNE-

ERNESTVS PIVS, Dux Saxoniae ex iisdem anno cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>c XLIII. novam excitaret arcem Fridensteinii nomine insignem, repertum assererat. Formam eius hic subjicio.

**L**  
Rep. in ruder. Giffenstein.



Distinctio illa a magnitudine petita, qua Romana numismata discernere solemus, in majoris formae, mediae & minoris, aequae locum obtinet in Germanicis: adeoque, de quo in praesenti agimus, minimae quantitates esse constat. Bracteatus & ex argento conflatus est nummus, eoque valde tenui, ut vel levi flatu loco moveri queat: id quod apud Germanos nostros invaluisse, ac id propter nonnisi ab altero latere potuisse signari, tot alia eius generis aequae numismata testantur. Praefert autem coronas duas, invicem sibi oppositas, quibus ab altero latere parvula crux adhæret, ab altero vetustate (ut videtur) detrita. Sicut autem hoc ipsum latus suas perdidit literas, ita trium fragmenta adhuc superesse gaudeo. Sunt autem hæ:

THV.

Quatuor exulare puto, scilicet RING, ac proinde

B

inde

inde vocem totam habuisse THVRING. Thuringiam videlicet nostram eo denotatam, existimo, & statum illius regni, quod ab uno quondam coronato regebatur capite, nunc in duos Dominos, Francos scilicet ac Saxones fuit divisum. Quam rem si acu tangerem, eamque Eruditorum Polyhistorumque choro liceret probare, summopere mihi gratularer de antiquissimo, ac pretioso nummo meo. Ad annum enim Christi 10XXIV. esset revocandus, & si eo tempore (nec posterioribus seculis, in memoriam forte rei anteaetæ) foret cusus, ætatem mille quinquaginta & centum annorum supergrederetur. Summa rei ita se habet.

Regis Thuringorum Hermenfridi scelera, & firmata per fraternam cædem tyrannis in nervum eruperant, ac Theodorico Franciæ Regi bilem moverat negata pars dimidia hereditatis Baderici, (id fratris Hermenfridi nomen erat) ob præstitam in tollendo Baderico operam. Sic socia olim arma, in Hermenfridum versa. Petebat illum Theodericus, ac Thuringorum strategemate delusus, Saxones vocabat in auxilium. Hi herciscundi regni dulcedine allecti, cum maximis copiis advolarunt, ac una cum Francis fecere finem potentiae Hermenfridi. Inde Franci atque Saxones captas  
belli

belli jure terras in duas partes, laudato anno, divideret, quarum una, Australis in Francorum, Septentrionalis in Saxonum manus venit. Id quod, Vir Celeberrime, accurate laudata Tua de *Antiquo Thuringiae Statu Epistola* demonstraſti. Atque o utinam non invidissent nobis fata Venantii, Pictaviensis Episcopi Historiam de *Doringorum excidio* soluto sermone conceptam, perinde ac adhuc superstes est de eodem argumento carmen ejus elegiacum. Hæc itaque est memorabilis illa Thuringici Regni divisio, quam binas nummi nostri coronas designare auguramur. Certo quidem demonstratio- num generi nullus in his talibus locus est: attamen quia rei gestæ historia cum inscriptione nummi tam belle convenit, non multum a vero aberrare conjecturam meam sic existimo, ut tamen meliora docentem facile sim admissurus, imo gratias eidem acturus singulares.

Huic autem, de quo diximus, in ruderibus Grimmensteinianis comes fuit nummus alius, ejusdem cum priori materiæ, paululum tamen major: cujus schema afferro. II.



Leonem

Leonem, uti vides, repræsentat, capite præ  
 vetustate detrito, cauda supra tergum reflexa, ex  
 qua aliquot villi prodeunt. Propria Thuringiæ  
 insignia Leonem ostentant: idque non modo  
 monuerunt viri Heraldicam artem egregie docti,  
 & hos interpretate non minus singulari, quam va-  
 ria doctrina excellens Vir, Philippus Jacobus Spe-  
 nerus elegantissimo *de Insignibus Serenissimæ familiæ  
 Saxonica* libello: sed & res ipsa satis superque te-  
 statur. Comparent quidem & alii plures in in-  
 signibus Saxonis Leones, forma ab hoc nostro  
 non diversi, præsertim si absque coloribus pin-  
 gantur: at horum nullum nostro numismate  
 denotari, tum ex socio Thuringico, tum præcipue  
 ex antiquitate ejus constat. De corona tamen  
 dubites, quam Thuringico Leoni imponunt ho-  
 dierni pictores, artisque Heraldicæ scriptores, atq;  
 ipse etiam laudatus Spenerus. Bene tamen sub-  
 jungit: *In monetis (conf. Joh. Jac. Luckii Syllog. Nu-  
 mis. p. 105. & alibi) contra hæc (corona) non ubique  
 conspicua est, & omnino omittitur in Furst. Wapenb. P.  
 3. p. 6.* Ita etiam nummus est penes Celeberrimum  
 Dn. Joh. Gotfr. Olearium, cum Leone Thurin-  
 gico absque corona, tribus inferius additis tur-  
 ribus, conspicuus. Quem cum pace clarissimi  
 possessoris exhibeo:



Præterea in multis veterum Landgraviorum Thuringiæ Sigillis, hunc Leonem nulla corona insignem observavi. Neque repugnat nobis situs. Etsi enim in insignibus dextrorsum spectet Leo, quod secus sit in nostro nummo, id tamen non nisi elegantiae causa fieri, toties laudatus Spenerus monuit: & ita quoque in Olearii nummo habetur. Optimus Patruelis Tuus, Maxime Reverendus Saxo-Altenburgensis Ducatus Superintendens Generalis, D. Joh. Christfried Sagittarius, nummum minorem possidet, Thuringicum Leonem eodem, quo noster, situ præferentem, qui quod in super corona sit at signus, figuram illius huc delineatam repeto,

IV.



Quando autem primum Leo ille a Dominis Thuringiæ in vexillum receptus, non habeo dice-

B 3

re:

re: longe tamen id videtur antiquius, quam ut vel ad Conradi Salici, vel Lotharii II. Imperatoris ævum referri mereatur. Recentioris observationis est, quod *Turogi* (ita Thuringi Aventino veniunt) atque *Catti* (de Hassis loquitur) ob insignem Regni, nempe Leonem decertaverint: uti habet Aventinus *Annalium Bojorum libro VII.* qui tamen summam contentionis, non tam ad insignia, quam ipsius regionis principatum pertinentem haut æque videtur affecutus.

Sed devenio jam ad aliud quoddam numisma, magnitudine, non tamen materia, a recens allatis diversum: formæ scilicet majoris, & figuræ ex subjecta icone apparentis.



*Rotæ p orbicula  
nuya fuit & jura  
vacui*

Videre est in hoc nummo Equitē thorace, galea, ac clypeo armatum, hasta vexillū præferentem, quem pone duæ, una ante ipsum rotæ vel orbis comparent. Inscriptio ita videtur concepta: **LVTEGER. ME FECIT. AEC vel HEC.** Reper-  
ta est

ta est ante aliquot annos hæc moneta in agro Thuringico circa Rudolstadium, cum nonnullis aliis in olla compactis, quæ Conradi Moguntini Archiepiscopi, Ludovici Thuringiæ Landgravii, Guntheri Comitiss, ac aliis item nondum satis notis figuris sunt conspicuæ: e quibus itidem nonnulla Te, Vir Amplissime, accepi, ac plures asser- vavit Ἐπαύριω Bosii industria.

Cum primum initiales literas LVT collige- rem, ad Ludovicum quendam Thuringiæ Comi- tem, aut Landgravium spectare putabam, & se- quentia æque ac hoc nominis abbreviata credidi. Postea tamen accuratius inspicienti integrum LV- TEGER vocabulum deprehendi. Quod autem hæc ipsa vox non satis mihi esset nota, nihilominus ex ea Ludovicum studui refingere. Sed licet *Luit- pecus, Luitvicus, Ludovvicus, Ludevvicus, Hludevvicus, Clodovæus*, & id genus alia obvenirent, nullum ta- men pro *Lutegero* locum deprehendi. Hinc certior factus peculiare hoc, & proprium Germanis præ- nomen fuisse, varie demum & illud ipsum scri- ptum reperi. Videlicet *Ludeger, Luteger, Ludger* & *Leodegarius*. Re ipsa tamen hoc nomen non est a- liud, quam *Luderi* (ex quo Latini *Lotharium* fece- runt) quod germanicum est, & *lauter* / sive *clarum* designat. Scilicet non infrequens est scriptoribus antiquis

ewla  
ya





antiquis Germanicis addere sive interserere vocabulis literam G. id quod vel ex *Nomenclatura Aven-  
tini Annalibus Bojorum* præfixa patet. Ita *Othogeronis*  
nomini similis est interjecta consonans, cum ta-  
men eo *Otherus* seu *Other* (corrupte *Autharius*) desi-  
gnetur. Et quid multis in re clara opus? Incidi in  
*Appendicem Dodechini ad Mariani Scoti Chronicon*, ubi  
disertis verbis, qui communiter *Lotharius II.* Impe-  
rator audit, *Ludgerus* appellatur. Ita enim habet ad  
annum clō CVI. *Magnus Dux Saxonie obiit, cujus du-  
catum obtinuit Ludgerus filius Gevehardi, cum non ha-  
beret heredem. Eundem autem Ludgerum, Gebhar-  
di Supplingenburgenfis Comitis filium illum i-  
psum esse, qui ad regium Germaniæ fastigium  
sublatus vulgo Lotharii nomine venire solet, con-  
stat.*

in Dolman  
lij: Ottmar.

ater ej  
confurti

Jam in Ludgeros, Lothariosque erit inqui-  
rendum, & quibus conveniat maxime hoc no-  
strum numisma, dispiciendum. Gobelino Perso-  
næ, Crantzio, aliisque de *Ludgeris* quibusdam sa-  
cificulis Episcopisque sermo est, quod genus ho-  
minum hic excludimus. Neque admittendus *Lud-  
gerus* ille, qui Suffrido Petro teste, post baptismum  
*Witekindi* nomine insignitus, a *Frisiis* vero ca-  
ptus, & Germaniæ Regi Carolo fuit proditus. Hæc  
enim Suffridiana fidem non merentur. Ad *Clothar-  
ium,*

num, Theoderici fratrem, Francorum Regem, qui anno 13<sup>o</sup> LVI. Thuringiam suam Saxonibus rebel- libus auxiliantem domuit, extendere velle num- mum, forsitan fuerit supervacaneum. Valet qui- dem Francorum *Clotbarius* idem quod *Ludgerus*, uti *Clodoveus*, *Clodomirus*; *Ludovicus*, *Luitmerus*: ve- rum illos in scriptione literarum præsentis nummi suum deposuisse idioma, vix poterit probari. Ita- dem *Lothario I.* Imperatori Ludovici Pii filio assi- gnari nequit, cum rectius ad sociorum nummo- rum, qui una eademque testa latuere, ævum refe- ratur. Quoniam autem hi ad *Conradum Mogun- tinum* Præsulem (uti supra monuimus) & *Ludo- vicum*, primum Thuringiæ Comitem Provincia- lem spectant, meo quidem iudicio non erit aliud Principis, quam *Luderi* seu *Lotharii II.* ex Saxoniae Duce Regis Germanorum. Ille enim utriq; horum est coævus, ipsumq; Ludovicum III. hujus nomi- nis Thuringiæ Comitem, primum Thuringiæ Principali dignitate præfulgentem Landgravium creavit. Forte autem hic nummus prius est cusus, quam Germanici Imperii fasces adeptus, in Duca- tu Saxoniae exegit. Habitus enim iste Duci pro- prie convenit, Regiæ Imperatoriæve majestati non æque aptus. Hos enim nunquam fere alio habitu, quam solio sedentes, regniq; tenentes in-

C

signia

N<sup>o</sup> 13Diplome  
de  
Nun

signia reperies. Etece ipsum *Lutegerum* nostrum, jam regio nomine auctum, ex alio numismate, quod in tuis scriniis, Cl. SAGITTARI, servas, quodque itidem inter Rudolstadienses fuit, sisto.

VI.



Hic apparet Imperator, arcui inter binas turrets insidens, regia corona insignis & dextra globum lilio decorum, sinistra sceptrum tenens, cujus superior pars in liliis item formam abit. Inscriptio talis est: LVTEGER ME FECIT. VAIET

Nihil moror lilia globo ac sceptro infixis, quæ licet peculiaria Francorum sint insignia, non tamen semper Francicos designant Reges, sed elegantiae causa antiquis sceptris addita fuere. Ita, cum anno proximo Tecum, Vir Celeberrime, Gothæ degens, per clementissimam Serenissimi Saxoniae Ducis FRIDERICI indulgentiam, antiqua diplomata pervolutarem, nonnulla reperimus,

*In alt. Kops in alt. Bogen list man uelw in am saugte qui-  
Jesu Concipit. 3. liliis. 1. ob. 2. a. m. 1. a. 3. a. 1. a. 1. a. 1. a.*

quibus sigilla Imperatorum inclusa aut appensa, liliata ejusmodi sceptrā repræsentantia: quorum delineationem a manu mea possides. Huc spectant Conradus II. in diplomate, A. clō XXXVII. dato, Henricus III. an. clō XLIV. Henricus IV. an. clō LXXXVI. & clō CIII. Henricus V. an. clō CXIV. Conradus III. an. clō CXLIV. Fridericus II. an. clō CCXXVI. Singulare est quod auctoritate Luderi Imperatoris, præsentī nummo additum ME FECIT, ut ipse adeo nummus auctorem loquatur: quam formulam & in aliis Germanicis operibus, campanis præsertim antiquioribus reperimus. Sed quid restatque verbis: in meo: HEC sive AEC; in Tuo, VAIET sibi velit, hætenus meam fugit industriam. Cujus si a Te explicationem impetravero, novo eodemque insigni me beneficio Tibi devincies.

Jam videbimus, quid sibi rotæ vel orbis illi radiati velint, quorum tres in nostro nummo conspiciuntur. Antiqua Comitum Supplingenburgerium insignia inspicientibus duo cornua cervina ter tribus intermixta orbibus occurrunt; quos rotasne fuisse, an rosas, an quidquam aliud, haut liquet.

*fecit. sibi  
quod quis per  
facit. etc.*

*mihi: valed  
p. h. notum*

18  
 Wintzenburgische  
 Wagon



Quicquid sit: si pro rotulis habendi sunt globuli illi, quos insignia præferunt, ulteriori explicatione non indigeo; si aliud quidpiam per globulos designatur in Supplinburgicis, & illud forte in his nummis habuerit locum.

Additus fuit Rudolstadtensibus nummis adhuc alius Lotharii seu Ludegeri, uti ex sedis Bosianis, quas mecum communicare voluisti, liquet. Habuit autem hominem imberbem, sedentem super clypeo, dextra gladium, sinistra vexillum tenentem. Ad pedes ejus sub semicirculo cygnus, & circa eum hæc inscriptio exstitit:

LVTEGER ME FECIT.

quem itidem ante Imperatoriam dignitatem, quam indeptus noster, culum puto.

Atque hic Lutegerus jam Majestate regia præfulgens generum suum *Ludovicum* Thuringorum Comitem anno clō CXXX. ritu solenni primum Thuringiæ Landgravium Principem renunciavit: quo de pluribus exquisite egisti *Epi-*

*stola*


stola Tuæ de antiquo Thuringia statu pag. LIX. seqq.  
Hunc omni sua pompa, novoque titulo illustrem  
ex scriniis Tuis nummariis depictum, incisumque  
æri hic exhibeo:

VIII.



Lucino

Ludovici hujus tertii Comitis, sed Landgravio-  
rum Thuringiæ primi progeniem, & cum Lotha-  
rio per matrimonium filia conjunctionem brevi  
schemate hoc delineavi:



Armatus equitat hoc in nummo, vexillo suo  
maxime decorus, cujus cum festiva exhibitione Lu-  
derus Imperator ei nomen Principis imposuit, & Land-

C 3

gravium



*gravium Thuringia ab omnibus nominari fecit, uti Appendix Martini Poloni, ac Auctor de Landgraviis Thuringia loquuntur. Pinguntur omnes ejus posterii, quemadmodum & alii Successorum, cum eodem habitu, dignitatis eximiae indicio manifesto. Tintinnabula a collo equi pendent, quod elegantiae & tum temporis recepti splendoris ergo factum judico. Nam idem quem adduximus Ludegerus geminis nolis est ornatus. Et usi sunt illis inter armorum ornamenta hoc & sequentibus seculis Principes Viri. Ita apud Cl. Lambecium Originum Hamburgensium libro II. ex Hamburgensi S. Mariae Magdalenae sacra aede luci datam habemus Adolphi IV. Schovvenburgici, Holsatiae, Wagriaeque Comitum iconem, etiam tintinnabulis ex cingulo pendulis ornati: eo scilicet habitu, quo anno cō CC XXVII. patriam meam Lubicam, in praelio ad Bornhövet victor, Danorum jugo liberavit. Quo de Historia meae Lubecensis mediae cap. ultimo ad hunc annum ago. Ac memini Te non semel memorare, plures ejus generis statuas ac imagines nolis insignes in Ducali Palatio & curia Lunenburgensi conspici. Tota inscriptio haec est:*

• LVDEVVICVS PROVINCIALS CONES LVCINOA.  
 Vbi in voce PROVINCIALS tò Iultimum vel per errorem  
 rorem





Coronidis loco unum adhuc affero numisma minoris formæ argenteum, aquilam  $\mu\omicron\kappa\omicron\acute{\kappa}\epsilon\phi\alpha\lambda\omicron\nu$  expansis alis præferens:

X.



In Saxonis Insignibus tales duæ aquilæ comparent, altera coronata, altera sine corona: licet & coronæ haut raro vel confundantur, vel omittantur. Hinc non est in facili distinguere, ad quem Palatinatum, Saxonianæ an Thuringiæ hæc aquila pertineat. Videtur tamen ad posteriorem, Thuringiæ scilicet Palatinatum spectare, quem aquila designare solet non coronata. Palatinatus utriusque historiam, qui  $\omega\varsigma\ \acute{\epsilon}\nu\ \sigma\upsilon\nu\acute{\epsilon}\psi\delta$  desiderat, adeat Spenerum, toties laudato de Insignibus Saxonis tractatu.

Hæc sunt, Vir Excellentissime, quæ in præsens Tecum per has literulas agere volui; nullus dubitans, quin hoc institutum meum æquo animo laturus, meque in posterum amore ac patrocinio tuo constanter complexurus sis. Quod si plures posthac in nummis Germanicis nati mihi fuerint scrupuli, ut, sicuti hæctenus in ceteris fecisti studiis, ita in illis quoque resolvendis, pro benevolentia in me Tua, opem mihi feras, ea qua possum, ea qua debeo, observantia majorem in modum rogo. Ita vale, ac in rei literariæ ornamentum, Tuorum gaudium, Musarumque mearum emolumentum semper feliciter age. Scribebam Jenæ, Kl. Octobris, anno cl<sup>o</sup> lxxviii.



Ms. 376

ULB Halle

3


004 969 138



VDH

M





Vir  
 quidem a  
 rum, nec f  
 scilicet la  
 gni Viri n  
 tantum d  
 fica dulce  
 suave gau  
 non mod  
 tam felici  
 rem grav  
 fractis sa  
 intellectu  
 men nihil  
 roni fuit i  
 candasqu  
 fum. C  
 bres cura  
 tiendis &  
 politioris  
 Quam ob  
 depingen  
 non part  
 Excellen  
 rum gent

emper  
 ue mi-  
 primis  
 o Ma-  
 r nunc  
 a miri-  
 & prae-  
 i licuit  
 Sane  
 sculpe-  
 & con-  
 e quasi  
 rim ta-  
 lem ty-  
 expli-  
 isse vi-  
 e cele-  
 s excu-  
 decora  
 alo est.  
 ,quam  
 xerim)  
 o, Vir  
 studio-  
 nmen-  
 datio.

